

aliquando hoc debuit mortis naturæ solvere; ut per hoc nos a miseris istis absolvere possimus. *INCIN.*, p. I, c. XVI.

Sicut Apostoli navigantes viso Domino timuerunt omnes, et putabant phantasma esse; ita nos in hoc mari appropinquantem mortem, quæ adjuvet nos, arbitramur inimicam esse; cum vero ad litus Patriæ cœlestis appulsi fuerimus, agnoscemus, vel maxime salutarem fuisse. *BESS.EUS*, conc. VII, *de Mort.*, p. 2.

Sicut si duo sint in carcere, unus ob leve, alter ob capitale delictum; ille, quoties panditur carcer, gaudebit, quia se libertati restituendum putat: alter vero terribitur, quia ad mortem eductum se iri timet; ita justus quisque gaudet morte adveniente, impius vero tremante animo eandem excipit.

MOTIVA.

AD EXPETENDAM MORTEM. — Quia a peccatis liberat; ut Salomon indicavit: Justus, si morte preoccupatus fuerit, in refrigerio erit: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: inconstantia concupiscentiæ transverit sensum. Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. *SAP.*, c. IV, 7. Hinc S. Ambrosius: Raptus est, inquit, justus, ne malitia mutaret cor ejus. Mors ego ista magis peccati fuga, quam morientis est detrimentum. Et in capite II, de Bono mortis hanc instituit interrogationem: quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quantum diutius quis fuerit, tanto majori oneratur sarcina peccatorum? nullus dies sine peccato nostro præterit. *S. AMB.*, in *Ps.* LX. Et idipsum confirmans Idiota, lucrum, inquit, est mori homini qui bona morte moritur; nam per bonam mortem commutat homo timorem in securitatem, et ideo scribitur: Melius est mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Gloria cujuslibet hominis, Domine, est sanctitas vitæ, quæ gloria cito in hac vitæ fragili perdi potest, utpote per unum consensum peccati mortalitatis. Quamdiu igitur homo vivit, quantumcumque sit sanctus, in periculo est ut evacuetur gloria sua, id est, ut perdat sanctitatem suam; sed per bonam mortem evadit omne periculum amittendi gratiam suam.

Quia portus est malorum ac diuturnæ

et molestæ navigationis; per fugium ærumnose vitæ, effugium miseriarum. *CIC.*, l. I, *Tusc.* Sen, ut clarius dixit S. Chrysostomus, est somnus, migratio, translatio, et requies, et tranquillus portus, et perturbationis liberatio, et a vitæ curis absolutio. S. *CHRYS.*, h. *ad Pop.* Hinc Idiota ait: Homo mortuus non magis contristari, aut conquiri debet, si ad mortem pervenit, quam navigans, si ad portum, ad quem navigabat, celebris quam credit, pertingit. Est enim mors portus ad quem continuo navigamus, et ideo si ventus, et casus fortuitus subito, et ex insperato ad illum portum perducit, dolere non debet homo. Et idipsum confirmans Bellovacensis: Nonne mors, inquit, humani generis terminus, non scopulus, in quem impingas, sed portus, quem libenter attingas, ad quem si quis intra primos annos applicuerit, non querimoniam agat, quod minus vixerit, sed gaudeat, quia citius navigavit. *BELLOV.*, p. I, *Spec.*, l. II, *dist.* 24.

Quia immunitatem a tentationibus præstat; hinc S. senex Simeon suo vicinus termino cantabat: «Nunc dimittis servum tuum etc.» Ubi S. Ambrosius talem format discursum: Quasi necessitate quadam teneretur in hac vitæ, non voluntate, ita dimitti petit, quam a vinculis quibusdam ad libertatem festinaret; sunt enim vincula quadam corporis hujus, et quod est gravius, vincula tentationum, quæ nos alligant, et ad injuriam captivitatis adstringunt quadam lege peccati. Qui idem Sanctus postquam illa Apostoli: «Mihi vivere Christus est et mori lucrum,» considerasset verba, eadem ad nostrum interpretans propositum ita discurrit: Lucrum est evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, et ad meliora transiisse. Deinde capitulo sequenti hanc vitam nobis velut laqueis plenam ob oculos ponit, dum ait: Quid est aliud hæc vita, nisi plena laqueorum? Inter laqueos ambulamus, inter plurimas versamur tentationes. *S. AMB.*, in c. I *Luc.*

Quia a visione multorum malorum liberat, ut Bellovac. notavit dicens: Tertium, propter quod justus mori desiderat, est fervor æmulationis; considerantes namque omnia mala, quæ sub sole geruntur, videlicet quod multiplicentur peccata, regnat injustitia, veritas conculcatur, dehonoriatur Deus, animæ damnantur, pauperes

opprimuntur, justus despiciuntur, et impii dominantur, dolent, gemunt, et dolore tabescunt, mori quam vivere præoptantes: unde unus eorum Mathias dixit, I *MACHAB.*, II: «Væ mihi, ut quid natus sum videri contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctæ.» Hinc de S. Praxede scribit S. Gregorius, quod, cum tantam Christianorum stragem videre non posset, Deum precata sit ut, si mori expediret, eam a tot malis eriperet.

Quia vincula dissolvit. Hinc sanctus Paulus dicebat: «Infelix ego homo, quis liberabit me de mortis hujus corpore?» *ROM.*, VII, 24. Et iterum: «Coarctor autem a duobus, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo; multo magis melius permanere in carne, necessarium propter vos.» I *PHILIP.*, II, 23. Super quæ verba S. Gregorius ait: Adhuc corruptionis suæ sarcinam portans victus clamat: «Cupio dissolvi, et esse cum Christo,» dissolvi enim non quæreret, nisi se procul dubio vincetum videret. Propheta veri Dei religionem tam indignè ab Achab et Jezabel tractari videns, petivit animæ suæ, ut moreretur; Et ait: «Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.» Aller ille Machabeus protestabatur dicens: «Melius est mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, et Sanctorum. S. *GREG.*, l. IV, *Mor.*, c. XII.»

Quia est quies laboribus; ut S. Amb. notavit, dicens: Sapiens quisque intelligit, quod hæc vita homini non ad quietem data sit, sed ad laborem, hoc est, ut hic laboret, et in posterum quiescat, hic autem requies nulla; tantis enim malis repleta hæc vita est, ut comparatione ejus, mors remedium putetur esse, non pœna; nam ideo brevem istam vitam Deus fecit, ut molestiæ ejus, quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. *S. AMB.*, ser. XLII. Hinc Tertullianus, non timendum est, inquit, quod nos liberet ab omni timore: longum Deus admittit tormentum homini, cum vitam ei concedit brevem. *TERTULL.* Quod etiam Henricus de Hassia confirmans ait: O homo, quid est tuum diu vivere hic quam diuturnis ærumnis et tædiis in mortem ire? Quid tibi de hac vitæ, quam intrasti cum dolore, contrivisti cum labore, exhibis cum tremore? *HENR. DE HASSIA, de Solitud. anime.* Unde S. Bernardus in exequiis unice sibi dilecti charique fratris sui Gerardi adeo constans, intrepidusque pers-

istit, ut omnibus flentibus, ipse sibi solus fletum interdixit, et coercoerit; ita enim in quodam sermone discurrit: Plorantibus aliis ego sicis oculis secutus sum inivisum funus; qui me intuebantur, flebant, et mirabantur, quod non flerem ipse. *S. BERN.*, ser. XXXVI, in *Cont.* Videmus mortuos quotidie plangere mortuos suos, fletum multum, et fructum nullum; non culpamus affectum, sed causam; plorantur dama gloriæ carnis, viteque presentis incommoda juxta S. Bernardum, nam quisquis mortem plangit proximi, aliud non facit quam dolere quod defunctus ab hac miseriarum, lacrymarumque valle creptus sit, et turbidi homo maris delusis tempestatibus pertigerit ad portum: plorantur vitæ presentis incommoda. At, inquit, mortuus putrescit, corrumpitur, pulvisque et cinis fit. Quid tum inde, amice? Hoc nimirum illud est, ob quod maxime est lætandum; etenim si quis veterem domum, ac conqussatam ædificaturus est, primum ejus incolas ex illa ejicit, deinde domum ipsam diruit, et eam magnificentius reedificat, quod quidem lætandum potius, quam dolendum ei est, qui ex veteri habitatione ejectus est; non enim presentem ædium demolitionem spectat, sed domum, antequam videatur, animo concepit, ac comprehendit. At eundem modum facturus Deus, corpus nostrum demolitur, et animam in eo habitantem ante, ut ex domo aliqua ejiciat, ut, cum aliam magnificentiorē, et præclariorem opere exadificarit, illum majori cum gloria in eam introducat. *S. CHRYS.*, t. III, s. XXI.

Quia nos aperit viam ad Patriam, et amicos, ut Cyprianus indicavit, dum dixit: Quid non properamus, et currimus ut Patriam nostram videre, et Parentes salutare possimus? Ad horum autem aspectum et complexum venire, quædam, et illis, et nobis in commune lætitia est? *S. CYPR.*

Quia ad meliorem vitam est transitus. Transitus, inquam, a corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a perturbatione ad tranquillitatem, teste S. Ambrosio. *S. AMB.*, *de Conc. mort.* Hinc Plintarchus, nemo bonus, ait, lamentis, sed hymnis dignus, et laudationibus, non luctu; sed honorifica recordatione, neque lacrymis a dolore extortis; si quidem is, qui inter mortales esse desiit, divinioris cujusdam vitæ factus est consors, liberatus

servitute corporis, ærumnosis istis sollicitudinibus, atque casibus, quos necesse est, ut perferant, quibus mortalis hæc vita obligit, donec conficiat fato destinatum ipsis vitæ curriculum. PLUTAR., *de Consal. ad Apoll.* Quod ipsum etiam asserens S. Bernardus ait : Si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem et justus, sed secure, quippe cuius mors, ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors si peccato moriaris, ut iustitiæ vivas. Hæc mors necesse est, ut præcurrat, ut sequatur illa secure. In hac vita, quamdiu durat, compara tibi illam, quæ semper durat. S. BERN., *Ep. cv.* Unde quando ad mortis adventum trepidamus, non mortis hoc est vitium, ut S. Ambrosius recte advertit, sed nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, et delectatione vitæ istius capimur, et cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis, quam voluptatis est. S. AMBR., *de Bono mort.*, c. II.

« Quia mors est debitum omnium solvendum : » atque adeo stultum est meture, quod vitari nequit.

« Quia mors est exitus animæ e carcere : » quis autem e carcere, in quo summas est molestias perpressus, non liberari desideret ?

AD TIMENDAM MORTEM. — « Quia est certissima quoad substantiam : » hinc Seneca, certum est, inquit, mortem vitamque per vices ire, et composita dissolvi, et dissoluta componi. Omne humanum genus, quodcumque est, quodcumque erit, morte damnatum est. Quotidie morimur, quotidie etiam demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque, cum crescimus, vita excrescit. Infantiam amissimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usque ad hesternum, quidquid transit corporis, perit : hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus.

Et magnos, parvosque terit, cum fortibus æquat
Imbellis, populisque Duces, seniumque juvenitas,

ut non male canit poeta quidam.

« Quia est incertissima quoad horam : » nam, ut Poeta Tragicus canit :

Certo veniunt ordine Parce,
Nulli jussu cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Sed nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut posset sibi polliceri.

Intellige de ordinaria lego. Hinc Isaac ad

Esau : Vides, inquit, quod senenim, et ignorem diem mortis meæ. GEN. XXVII, n. 2.

« Qui est acerbissima quoad præsentiam : » cum, teste Aristotele, sit omnium terribilium terribilissimum.

« Quia est periculosissima quoad exitum : » ubi gravissimas tentationes demonum, qui, licet semper sint execrabiles, tunc etiam omnino sunt intolerabiles; quia tunc sciunt fluere illud momentum magnum, a quo tota æternitas pendet; æternitas enim a morte, mors a vita, hæc a momento pendet; nam periisse semel, æternum est.

« Quia est contra naturam, » uti Theophilactus recte advertit, dum de Christo agonizante dixit : *cepit iacere etc.* ut credatur verus homo; humanæ enim naturæ est, timere mortem, eo quod præter naturam ingressa est mors, et propterea illam fugit natura. THEOPH., in *Matt.*

« Quia iudicii secuturi eventus incertus est : » hinc sanctus Gregorius ait : Redemptor noster solutioni carnis appropinquans, et membrorum suorum servans speciem, factus in agonia cepit prolixius orare. Quid enim pro se ille, cum in agonia esset, peteret, qui in terra positus coelestia cum potestale tribuebat? sed appropinquante morte nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris atque formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno propinquamus iudicio. Neque enim tunc cujuslibet anima immerito teneretur, quando post pusillum hoc invenit, quod in æternum mutare non possit. S. GREG., c. XXIV, *Mor.*, l. VII.

« Quia omnes sensus in morte destruantur ; » uti sanctus Bernardus præter experientiam confirmat, dicens : Hic dolor tantus est, quod aufert, et occupat omnes sensus. In pedibus aufert potestatem gradiendi, a manibus et a corpore potestatem tangendi, ab oculis videndi, olfactum a naribus, auditum ab auribus, gustum a palato. Ideoque merito in persona moribundi ingemiscebatur regius vates : « Timor et tremor venerunt super me et contexerunt me tenebræ. » S. BERN., s. XIV, art. I, c. IX. Et iterum alibi : Vide quomodo mors te crucifigit. Crura distenduntur, manus et brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, vultus horrescit, facies exsudat, et morte tacta pallescit. Et utique, quæ videmus de foris, et quæ sentimus, levia sunt ad ea, quæ intus

anima miserabilis jam prægustat; nam sensus a corpore cito recedit, animam sua mors comitatur euntem. S. BERN., *de Vill.*

« Quia morbi perturbant ; » uti Bellovacensis indicavit, dicens : In morte solent concurrere varia morborum genera, et membra sic occupare singula, ut plures quandoque sint morbi, quam membra. Dolores irruunt tam vehementer intensi, ut vires corporis enervent, somnum auferant, quietem impediunt, animum inquietant, sensus omnes perturbant, appetitum destituant, obstantur memoriam, obnubilant intellectum, et sic animam totam occupent et distrahent, ut nihil aliud ei cogitare liceat, quam dolores. BELLOV., *Spec. mor.*, p. I, l. III, dist. 3.

« Quia separationem ab amicis induci : » hinc S. Ephrem exclamat : Quam tremenda erit mortis hora! tunc non comitabitur filium pater, non filiam mater, non uxor maritum, non fratrem frater, sed solum opera, quæ quisque egit, sive bona, sive mala. Præmittamus igitur nobis ipsi opera bona, ut, cum hinc abierimus, admittant nos in civitatem sanctorum. S. EPHR., *Parer.* XLI. Et sanctus Antoninus, aliud, inquit, genus bellantium inimicorum est multitudine consanguineorum; de quibus dicitur Mich. 7 : Inimici hominis domestici ejus. Durum est sibi, deserere filios et uxores, et alios quos inordinate diligit. S. ANT., p. I, tit. v, c. II, § 2. Unde Augustinus de sero penitente ait : Quem morbus urget, et pena terret, ad veram vix venit satisfactionem, maxime cum filii, quos illicite dilexit, sint præsentis, et uxor, et mundus ad se vocet, frequenter ex inordinato amore filiorum, potius volunt perdere animam, quam aliena restituere, ne pauperes remaneant. Coangustant tales inimici domestici morientem, in quantum unus quærit sibi legari tantum, alius tantum, et tota eorum sollicitudo est de lana, non de anima; ali-quando etiam incipient evacuare capsas, quod videns infirmus non parum angustatur.

« Quia bona temporalia deferenda sunt ; » hinc Siracides : « O mors, inquit, quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantiis suis; viro quieto, cuius via directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum. » ECL., XLI, v. 4. Quod confirmans S. Bernardinus : O quantum, inquit, mæror, cum conspiciet se pri-

vati divitiis mundi, quas tanto labore acquisivit, tanto timore servavit, et nunc tanto dolore relinquit, quas tanto amore dilexit. Videt enim, quod nihil secum portare potest, nisi peccata sua, quibus ea indēbite congregavit, juxta illud Job 27 : « Dives cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, et nihil inveniet, » id est, peccatum quod vere est nihil. S. BERN., *Sen. to. I*, ser. XIV, a. 4, c. IX.

« Quia difficilis est eo tempore penitentia ; » quia in mortis deprehensi articulo, inquit S. Laurentius Justinianus, atque languoris nimietate afflicti, pene nihil aliud, quam de se cogitare sufficiunt, revolventes animo sedulo, quibus remediis suis valeant mederi doloribus, protelere exitum, recuperare vires, atque optatæ restituti sanitati. Fit autem persæpe, ut circa tæta occupati, interitus salutis propriæ minime recorderent, et absque ulla veræ compunctionis dispositione deficiant. S. LAUR. JUST., *de Contempl. mundi*, c. XV. Hinc et S. Augustinus monet : Agite penitentiam, antequam mors inimica naturæ vos aggrediatur; nam cum in extrema ægritudine fueritis, fratres, o quam forte, o quam durum et lacrymabile erit vobis penitere, et dolere de malis commissis, et de bonis omissis! Quare hoc erit, nisi quia illic capitur tota intentio mentis, ubi est vis doloris? Nam corpus dolet, poena affligit, quia mors appropinquat : intrare filios, quos patres summe dilexerunt, pro quibus etiam se damnatos existimant, tenebroso oculo aspiciunt, uxores jam lacrymantem considerant. Mundus adhuc eis fiduciam præstat, diabolus, ne de peccatis doceant, fidem tribuit, chyrographum infirmaribus præbet; caro non deficiere adhuc satis sperat; medici adhuc, ut lucrentur, ipsum confortant, parentes applaudunt, Sacerdotes alliciunt, et sic divites moriuntur in inferno. S. AUG., s. XLVIII, *ad fratres*. Sed, et S. Ambr. illa verba : Orate autem, ne fuga vestra fiat in hyeme, explicans hyemem intelligit non temporis, sed infirmitatis. Est hyems non terreni solis, sed hyems mentis, quando animo frigus illabitur, quando vapor animi evanescit, quando solvitur vigor sensus, quando nimius humor exundat, et mentem gravat, quando interior caligat aspectus, et ideo ait Dominus : Videte, ne fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato. Bonum enim, ut tunc dies iudicii vel mortis adveniat, cum viget animi

blanda temperies, cum caeleste mysterium serena luce resplendet, cum cor nostrum ardet in nobis. Accedit quod, ut S. Bernardinus notat, vix invenitur aliquis, qui de salute animæ suæ audeat sibi loqui. Executores sollicitantur circa divitias, medici circa corporis medicinas, uxor, filii, amici consolantur infirmum, et sic miser non permittitur de peccatis suis cogitare, nec statum, et finem vitæ salubriter ordinare. S. BERN. SEN., l. XIII, ar. 3, c. III.

« Quia diabolus tunc maxime furit; » hinc S. Gregorius monet: Curandum nobis est, et cum magnis quotidie flētibus cogitandum, quam rabidus, quam terribilis sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus princeps mundi hujus veniat, si etiam ad Deum carne morientem venit, et in illo illud quæsivit, in quo suum invenire nihil potuit. Quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti adversario, et multa sua in nobis inveniēti dicemus, nisi solum, quod nobis est certum refugium, et solida spes, quia unum cum illo facti sumus, in quo princeps hujus mundi, et summi aliquid requisivit, et invenire minime potuit? quoniam solus est inter mortuos liber. S. GREG., ho. XXXIX, in *Evang.* Rationem autem dat S. Antoninus dicens: Quia novit, se plus temporis non habere ad tentandum, ideo plus acuit malitiam suam ad decipiendum, vel per desperationem, vel per infidelitatem, vel per taciturnitatem alicujus peccati. S. ANT., p. IV, tit. XIV, c. VIII, § 9. Et præterea teste S. Cypriano: Adversarius vetus est, et hostis antiquus, cum quo prælium gerimus; sex milia annorum jam plane complentur (ut suo jam sæculo Cyprianus computabat) ex quo hominem diabolus impugnat, omnia genera tentandi, et artes atque insidias deiciendi, usu ipso vetustatis edidit. Et tandem aspectus dæmonum est nimis terribilis, quod notatur, cum dicit: Præoccupaverunt me laquei mortis. Dæmones vocantur laquei mortis, quia infelicem animam illaqueant ne penetrare possit, dicit autem: Præoccupaverunt me laquei mortis, videlicet ante prolationem damnationis a Judice, et ante separationem a corpore: demones nempe sunt tantæ presumptionis, et protervitiæ, ut non expectent miserum peccatorem sibi tradi a Judice per sententiam definitivam, sed in eo dominium, et potestatem quasi de

jure acquisitam usurpant. S. CYPRI., ad *Fortunat.* Unde merito S. Bernardus exclamat: Quis ille pavor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda præsentia, tam grati aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam regionem, occursantia tibi catervatim ruere illa teterrima monstra videbis?

« Quia semel tantum statutum est hominibus mori, post hoc autem judicium, » inquit S. Paulus, Heb. 9, 27. Postquam uno semel momento naturæ concedere, eodemque, Deo vitæ actæ rationes dare concessum est, consulte ac prudenter factum fuerit, si crebro nobis moriamur, si morte quotidiana ad unam extremam nos præparemus, subductasque ad calculum rationes illa digeramus, et componamus, ut sub expirantis vitæ tempus tales dare possimus, quales optabimus. Quod enim semel tantum faciendum, id sæpe, ac sæpius ante exercitandum, ut recte fiat.

MORS COMMÉMORANDA ET CONSIDERANDA. « Quia facit perfecte vivere, » ut S. Bonaventura indicavit, dicens: Facit seipsum despiciere et propter resolutionem in terram, in sui ipsius cognitionem venire. Facit vitam præsentem perfecte regere; sicut enim gubernator navis se ponit in cauda, ut rectius gubernet navim; sic qui in mari hujus mundi vult recte, et secure navigare, novissima sua debet recordari. S. BON., in *Diet.*, tit. VII, c. I.

« Quia humilem facit, » ut S. Laurentius Justinianus indicavit, dicens: Considera frequenter, o homo, te jam mortuum, quem scis te de necessitate moriturum. Dispicere qualiter oculi vertentur in capite, vena rumpitur in corpore, et cor scinditur dolore. Talis exercitatio cogitationis fontem magni pariet humilitatis. S. LAUR. JUST., c. IV, de *ign. vit.*

« Quia, juxta S. Climacum, mortis consideratio illos, qui sub religiosa disciplina vivunt, reddit laborum patientes, efficitque, ut magis ignominiam delectentur. » S. CLIM., gr. v.

« Quia peccata vitare facit, » ut innuit S. Laurentius Justinianus, dicens: Perfecta vita est mortis recordatio, quam dum justis sedula mente pertractant, enlparum laqueos valenter evadunt. Hinc S. Paschasius ait: Filiorum debet esse ista perfectio, ut sic vivant quotidie, quasi mox morituri. S. PASCH., IV, in *Mat.*

« Quia hæc memoria facit, ut suo tempore libenter moriamur: » sicut enim equus, ut non horreat statuum in hippodromo feriendum, prius sæpius per illud stadium ducitur; ita, ut mortem non horreamus, frequenter prius per cogitationem animus ad eam considerandam impellendus est. Hinc Seneca monet: Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ut, si ita sors tulerit, possis illi obviam exire. SENEC., de *Nat. gg.*

« Quia facit etiam, ut bene moriamur: » quia, teste S. Augustino, mors omnium vitiarum est preceptorum, atque adeo, sicut bene vivere, ita et mori facit bene.

« Quia fastidium rerum terrenarum parit, » ut in exemplo S. Francisci Borgiæ, et S. Elisabethæ, Hungariæ Regis filię patet, quæ audiens maritum vita functum esse, dixit: si mortem frater meus obiit, et mihi posthac mundo, ejusque vanitatibus defuncti morietur mundus ipse. FAB., conc. 8 in *Com. anim.*

« Quia curas et sollicitudines terrenas excludit: » sicut enim, qui leonem aut monocerotem, se insequenter adverteret, non esset multum de pallio retinendo sollicitus sed de sola vita; ita, qui mortem sibi singulis momentis imminentem videt, parum de bonis temporalibus coacervandis, aut retinendis sollicitus erit, sed id unice agat, ut mortis æternæ insidias evadat. INN.

« Quia a tentationibus diaboli protegit: » ut enim perdecis, ut aucupis insidias evadant, gleba se cooperiunt; ita qui dæmonum insidias effugere cupiunt, mortis memoria se communiunt.

« Quia ad gaudium et solatium in mortem disponit: » ut enim, teste S. Cypriano, non est dignus in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum; ita nullus hoc solatium plus sperare possit, quam qui frequenter ejusdem memoriam renovavit. S. CYPRI., l. IV ad *Anton.*

MEDIA.

Cum a bona morte totius hominis felicitas dependeat (tunc enim de summa rerum agitur, quando mors vocat) merito variæ industriæ ad mortem pie feliciterque obendam a variis personis excogitatae sunt, et adhibite quas proin, ut quis seligere sibi magis

convenientes posset, placet hoc loco paulo fusius referre.

Aliud Proœmium.

Quantum intersit mortem felicem ac beatam nasci, jam pridem indicavit Antisthenes Philosophus, dum interrogatus, quid apud homines foret beatissimum, respondit felicem esse mortem; cujus ne aliquando oblivisceretur Fridericus Imperator, id ipsum per symbolo usurpavit: Morte beata nihil est beatius: quod item Fridericus tertius crebris solebat amplificare sermonibus, dicens: nihil esse felicis felice exitu. Unde Seneca recte monet: Vivere tota vite descendum est, et quod magis fortasse miraberis tota descendum est mori. Tot maximi viri relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis, voluptatibus renuntiassent, hoc unum in extremam usque ætatem egerunt, ut scirent; plures tamen ex his nondum se scire confessi, e vita abierunt. Recte ab hac siquidem una scientia totius vitæ felicitas dependet. De summa rerum agitur, quando mors vocat. Nullum in omni vita graviorem, nullum magis serium laborem habemus, quam hoc unum, mori. Merito ergo variæ a variis sanctis industriæ ad similem mortem obendam sunt adhibite, quarum aliquas placet in hoc § enarrare.

Sæpe cogitare et loqui de morte.

Industriam hanc non parum proficuum esse ad mortem felicem obtinendam, jam olim sapienter advertit S. Gregorius dicens: Sic mors ipsa, cum venerit, vincitur, si priusquam veniat, semper timeatur. S. GREG., in h. *sint. lombi.* Habet se enim ut Gregorius Nyssenus ait, sicut basiliscus, qui perimitur, si prius videatur, secus ipse perimit. S. GREG. NAZ., s. in *Dom. 13 post Pent.*, § 2. Hinc monachus quidam, teste S. Maximo, sciscitanti, quid maximum ad beate moriendum haberet momentum, respondit: Cogitare ultimum sibi hunc diem fore. Unde merito hæc industria a pluribus sanctis sedulo est usurpata. S. MAX., s. XXXVI.

Et primo quidem S. Eligius Noviodunensis Episcopus, et S. Vincentius Ferrerius, qui de nulla re alia frequentius, quam de

morte loquebantur. *LYREUS, de Imit. Christi, l. VII, c. 1.*

S. Guilielmus Bituricentium Antistes exequias, funerumque comitatus diligenter obibat, in quibus crebriora de morte solent esse colloquia. *Ibid.*

S. Joannes Alexandrinus Archiepiscopus, ne unquam de morte disserendi abesset occasio, sepulchralem molem, quam sibi pridem vivo adhuc, spirantique extrui jusserat, imperfectam relinqui voluit, ita tamen, ut quaque festa luce, dum inter summates, amicosque infulatus assideret, a machinario in hæc verba admoneretur: Monumentum tuum in hodiernum usque diem est imperfectum. Domine, jube ergo ut id finem accipiat; incertum est enim, qua hora fur ingrediatur, nempè mors. *LEONTIUS, in Vita.*

Eminentissimus Cardinalis Robertus Delarmianus, moriendi cupidus, tantum non formidabat mortem, ut etiam ultro accerseret. Quare dum remotis arbitris solus esse sibi videretur, pellem manu prehensens, ac vellicans, cum bile ac stomacho aiebat: Quid agis caro putrida, ac vermium esca, cur adhuc hæres? quidni divelleris? cur me impedis, quominus abeam ad domum meam, heu tandem aliquando abrumpere: Domine, non possum diutius morari in terra, trahe me ad te, da mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Denique quando Cardinalem domestici consolari volebant, de morte cum ipso sermonem habebant. *Vit., c. XL.*

Margarita Austriaca Philippi III Hispaniarum Regis conjux florentissimam suam fortunam, omnibusque blandimentis adulantem hac eadem plusquam regia meditatione, in qua non segniter, sed seriose se exercebat, modestiæ sæpius admonerat: utque altius in animum ea descenderet cogitatio, illatis crebro sermonibus, quasi incesso malleo adigebat, quin Regum sepulchra invisere ac subire non dubitabat, non sibi horrore, aut timori mortem esse arbitrata, sed ex ea potius animo suo præcepta desiderium, solatiumque creari. *LYREUS, l. c.*

Mortem desiderare.

Sapienter quoque dixit S. Franciscus Salesius: Ut bene moriaris, officiosa mortem pensatione ante concilies, necesse est. Nam,

ut S. Augustinus ait, qui cupit dissolvi et esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit et delectabiliter moritur. *S. AUG., in Joann.* Et S. Climacus: Laude dignissimus est is, qui omnibus diebus mortem expectat; sed ille sanctus, qui nulla non hora eandem desiderat, uti plurimi fecerunt. *S. CLM., grad. 6.*

S. Ignatius Loyola Christum Dominum ac liberatorem videndi, sicut est, tanta cupiditate flagrabat, ut eam ipsam ob rem solvi corporis vinculis vehementius in dies optaret. Itaque si quando graviorem incidisset in morbum, concepta migrandi spe abstrahatur illico a sensibus non sine magno valetudinis detrimento: quocirca mentem a celestibus rebus interim avocare, etiam atque etiam a medicis jubebatur. *MASS., l. VIII.*

De S. Philippo Nerio vitæ auctor tradit, die Festo Pentecostes tanto videndi Deum desiderio astuasce, ut corde se moyente, duas illi costulas perfrigerit crediderim, captivum imitari voluisse, qui ferreo carceris clathros diffregisse gaudet, ut in libertatem se vindicet, tanto siquidem fervore sancta hæc anima ad Deum suum rapiebatur, ut ejus potendi affectu, quæcumque impedimento forent percurrere non dubitaret, identidem exclamare solitus: Animæ Deum amanti vitæ hæc mortalis fastidio; mors autem in desiderio sit.

Raymundus Lullus, in memoriam, silvarumque recessus abdebat sese frequenter, ubi gemendi prolongationem incolatus sui, plangendi molestias carceris sui, quæ detinebatur, finem nullum inveniebat. Cum ecce die quadam consueti stadii curriculum ingressus, atque amante hac periculis impatientia commotior, in Eremitam incidit, qui forte silvæ in medio juxta fontis crepidinem de via fessus somno obdormiverat, a quo, posteaquam evigilare hominem jussisset, expellit, qua demum ratione, modoque se carcere eximere posset? alter qui Deum juxta atque ipse pridem dilexerat, ejusque delicias penitus sectabatur, statim intelligens, quo ille tenderet, eadem se cum illo, sive dormiat sive vigilet, respondit custodia teneri, sed amoris carcerem esse, non vero timoris, invento homine, qui amoris linguam, sermonem calleret factus hilarior, una cum eo cepit inter amoris lacrymas ad horam illam suspirare ferventius, qua de corporis hujus educti custodia dulcissimo

nomini ejus plenissima possent voce confleri. Tanto autem immodica hujus cupidinis aestu torrebatur Raymundus, ut dum sese corporis hujus nexibus ab amati præsentia averteret definire, ab se alienatus, palpitantis cordis concitatione motu tantum non expiraret. *CAROLUS BOVILLUS, in Vita.*

S. Theresia, quoties horæ signum dabatur, interna quadam voluptateis eam demulcebat sonus, quod hoc sibi pacto Deum crederet propiorem reddi. Imo vero retinere se ipsam non poterat, quin mortem ab Altissimo ardentem expeteret; accidit autem Salmantice, cum in aliarum monialium ageret contubernio, carmen quoddam spirituale ab aliqua concini, cujus hoc erat exordium: Videant te oculi mei, suavissime atque optime Jesu; cur hic statim non morior? Quo illico tantis afflicti cepit excessibus, ut velut exanimis efferenda cubiculo esset, atque in lectulum reclinanda; fuitque hæc pie mentis alienatio tanta, ac diuturna, ut etiam die postera sui quodammodo impos manserit, et tota mente absorpta. Alias ipsa amoris quoddam canticum composuit, cujus versus interalaris hic erat:

Vivo, non vivendo in me,
Et tam sublimem vitam spero,
Ut moriar, quia non morior.

RIBERA, l. IV, c. x, *Vita.*

De B. Maria Ogniacensi scribit Laurentius Surius, vitæ exitu imminente tanto cordis júbilo eam exultasse, ut præ animi sui lætitiæ, trium dierum spatio, ac noctium, canendi finem nullum inveniret, usque eo, ut fauces ravim contraherent, nec cantui jam sufficere possent. *SURIUS, in Vita.*

Stephaniam Societatem tradit Joannes a S. Maria paribus ad mortem votis anhelasse, non tam amore videndi Deum Deorum in Sion, cujus dies una in atris ejus super millia, quam omni se metu liberandi, quo offendere timebat eum, quem tantopere diligebat; unde fieri amabat, quoties de morte alicujus nuntium acciperet, sacra quadam torqueretur invidia, doloreque tabesceret, quod se privatam eo bono conspiceretur, quo alium morte obita affectum inadisisset.

S. Catharina Genuensis totius vitæ decursu, maxime autem supremo biennio, tanta hinc emigrandi cupiditate exarsit, ut animus sæpe a sensibus alienata videretur; mortem vellet rem aliquam ratione præditam nunc alloquebatur dulcius, nunc ques-

tus suos coram exponere acerbis, nunc crudelem vocitans, numquid aiebat: O mors quavis tigride crudelior es, que tui me desiderio tantum affligi permittis? Nunc iterum amice blandiens varios honorum titulos comminisebatur, quibus velut aureis quibusdam officis amasiam demereri gestiebat: Quam pulchra es, inquebat, amica mea, quam pulchra es, quam decora charissima, tota, tota es desiderabilis: nunquam est unum, inquam, quod te deficit:

Heu quod surda cupidos averteret aure,
Et flentes oculos claudere sæva negas.

Dicebatque, si rei conjuspiam in hoc mundo libera sibi relinquere electio, mortem sibi primam et ultimam futuram, quam eligeret, cum ea sola atque unica foret, que oculi aditum aperiret: neque hoc se falli sensus existimabat, qui captivam animam suam in corpore vero ergastulo, languentem cruciaret.

B. Godefridus olim Comes Campergensis, consobrinus Henrici IV, Imperatoris, conjugæ salutarius adhortationibus permotus, ut sacrum et ipsa velamen acciperet, Præmonstratensium Ordinem ingressus fuit, ac paulo post tanto moriendi desiderio afflicti cepit, ut præter celestis illius fontis aquas sitire nihil aut desiderare quidpiam videretur, adeo ut sæpe sociis ejus in itinere quiescentibus, supinus ipse jacens, manus et brachia componeret, uti solet fumus componi, dum exequiæ celebrantur, et magno cordis suspirio exclamaret: O! si veniat hora illa nostri transitus! O! si ad hanc horam aptare ac preparare me, Domine, digneris! Cumque in ætatis flore ad exitum vi morbi raperetur, dolentibus et ubertim flentibus, qui adstant, quamobrem, inquit, poenitentia habitum induimus, nisi ad spectantes, ut quam primum liceat, evolemus ad Christum? optandum profecto mihi est, ut breviori, qua possim via, ad coelum conscendam. *PET. CARAFROCUS, in SS. German.*

SS. Eucharistiæ Viatico muniri.

Hæc industria singulariter a Concilio Nicæno est commendata dicente: De his, qui recedunt de corpore, antiquæ legis regula observetur, ut si forte quis recedat ex corpore, ultimo, et maxime necessario vitæ suæ viatico

non defraudetur. Et S. Cyprianus, quos excitamus, ait, et hortamur ad prælium, non inermes, et nudos relinquamus, sed protectione corporis, et sanguinis Christi muniamus, et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus; hinc plurimi specialiter hac industria, nec sine miraculo sunt usi.

S. Hieronymus scribit Eusebius sub vitæ finem, dum viaticum sumeret, se in terram abjecisse, tonsoque pectore, lacrymisque ubertim fluentibus, vivifico Sacramento refectum fuisse. EUSEBIUS, in *Vita*.

S. Augustinus viaticum sumpturus sic illud salutavit: Ave principium nostræ creationis, et reparationis: Ave sacrificium nostræ reconciliationis: Ave antidotum nostræ curationis: Ave viaticum nostræ peregrinationis: Ave solatium nostri laboris: Ave refugium nostræ tribulationis: Ave præmium nostræ expectationis.

Hos imitatus S. Thomas Aquinas illustrem nobis suæ pietatis memoriam reliquit, qui cum ingravescente morbo sentiret paulatim se viribus destitui, pie admodum sacrosanctam sibi petiit Eucharistiam exhiberi; ut autem allata fuit, tametsi fractis jam viribus langueret, humi se prostravit, cum lacrymis et admirabili pietate Dominum adorans, atque ita viatico refectus est. CANISIUS, l. II, *de Deip.*, c. XVII.

David quoque primus Scotorum Rex, cum vitæ terminum adesse sentiret, indignum se reputans, ad quem Christi corpus deferretur, duobus innixus sacerdotibus in templum venit, mox in genua procidens Christi corpus fide integra suscepit. BOET., l. XII, *Scot. hist.*

Accedit Joannes Hunniades Hungariæ Rex, ingens ille Turcarum, hostiumque terror, quem Æneas Silvius scribit tanta religione animique demissione ad sacrum hoc sumendum viaticum se præparasse, ut cum sentiret extremum vitæ terminum imminere, nequaquam passus sit Dominicum ad se corpus afferri, indignum ratus servum a Domino visitari, sed ipse Dominum adire voluit; cum autem deficientibus viribus suis insistere pedibus non posset, vehi se in ædem sacram jussit, ubi post Sacramenta suscepta, placide vitam exhalavit. SILVIUS, l. V.

Ad Laurentium Medicum Florentionem

rum Ducem cum Sacerdos sacrosanctum viaticum deferret, jamque palatio imminere nuntiaretur, ille confestim exclamans, procul, inquit, a me hoc absit, ut patiar Jesum meum, qui me finxit, me redemit, ad usque cubiculum hoc venire. Tollite hinc, obsecro, me quamprimum, tollite, ut Domino occurram, et cum dicto sublevans ipse se, quantum poterat, atque animo corporis imbecillitatem sustentans, inter familiarium manus obviam Domino ad aulam usque processit, cujus ad genua prorepens, supplexque, ac lacrymans: Tunc, inquit, mississime Jesu, tu nequissimum hunc servum dignaris invisere; ac mox summa animi pietate eundem suscepit. ANGELUS POLIT., l. IV, *Epist.* II.

De beatissima Virgine ac Martyre Syracusana Lucia tradit Ado in Martyrologio, quæ ignibus jam facta superior, ac gladio percussa in gutture, tantas martyrii sui impetravit indulgentias, donec Domini corporis sumpto viatico robustior ad sponsum migraret. LYREUS, c. I.

S. Maria Magdalena vitam agens in deserto, cum sibi vitæ finem imminere cognovisset, Maximum Episcopum accersivit, perceptoque ab eo sacrosancto corporis Christi viatico ad cælum migravit. RIBAD., in *Vita*.

Ad mortem accedebat Hugo de S. Victore Regularis Canonicus, cum stomachi nauseam non levem patiens, sacratissimi corporis Domini nostri Jesu Christi viatico instrui vetabatur; offertur simulata hostia a Sacerdote minime consecrata, sed Spiritu sancto mentem ægri illustrante, fraudem dignoscit, nec illud corpus esse Domini sui, cui verus ac Catholicus Christianus Sacramentali unione jungatur; exclamat: Ergo vera afferatur; quam cum neque propter stomachi indignationem posse tuto sumere videretur: Ascendat, inquit, filius ad Patrem, et servus ad Dominum suum. Quibus dictis, et S. Eucharistia disparuit, et ipse vir sanctus Deo spiritum suum resignavit. GARZON., in *Vita*.

Fuit juxta Massiliam vir quidam nobilis, ac singulari quadam in SS. Sacramentum præditus religione, qui, dum gravi detinebatur in invaliditate, ac sacro muniri viatico unice desideraret, verum propter crebros vomitus ab eodem prohiberetur, adorare suppliciter petiit, quod sumere vetabatur. Paruit Sacerdos, adestque cum sacra hostia, qua dum cum consignare pergat, videt illico

pectus ægroti aperiri, sanctamque hostiam e manibus suis evolare in cor ægroti, ac mox in oculis adstantium omnium regredi, comitante anima decumbentis ejus conspectu in æternum beanda.

Auctor præterea est Thomas Walsinghamus in Hypodigmate Neustriæ, militem quemdam Anglum nomine Philippum de Bona Villa, qui sub Ottone Imperatore multis annis militavit, sequentia magno animi sui sensu referre consuevisse: cum instaret Ottoni dies ultima, morsque præ foribus immineret, unice petiit Imperator, sacro viatico muniri; quod cum ob vehementes vomitiones fieri nequiret, saltem corpus Domini ad se deferri, et adorare optavit; factum id ex voto; et en, cum brachia deduceret, Christum velut amplexurus, pars ea pectoris, quæ cor obtegit, aperiri visa est, hostiaque e manibus Sacerdotis elabi, et in apertum, patensque cor, tamquam in paratam sibi sedem devolare, ac deinde rursum absque ullo cicatricis vestigio occuldi.

Mira quoque benevolentia, ac singularis illa Dei erga S. Bonaventuram sub mortem extitit dignatio; subito namque viribus destitutus in tantum vomitu fatigabatur ut nihil sumptum retinere posset. Nihilominus ex Christiano more desiderabat enixius sacro viatico recreari: abstinuit tamen præ reverentia et periculi causa, jussit tamen corpus Domini adferri, cujus saltem presentia, cum sumere vetaretur confirmatus, lætus, constantiusque excederet; pixidem quod ciborium vocant, in quo corpus Domini portabatur, lateri admoveri voluit, sumendi desiderium protestatus. Cum ecce sub pixide lateri apposita, in formam rosæ rubentis latus aperitur, qua Christi corpus e pixide in ejus cordis intimum se immisit, nullo post aperitura relicto vestigio.

Juliana ex nobili Falconeritorum familia Florentiæ oriunda cum assidua jejunandi consuetudine, assiduisque vigiliis difficillimum stomachi morbum contraxisset, adeo ut jam cibum nullum retinere posset, læta nihilominus, atque omnibus benigna, unum tamen quam maxime deplorabat, quod cælesti viatico, refici non permitteretur; quapropter morti jam facta vicinior, deferri saltem ad se ciborium petiit: quo adorato, rogavit sibi pectus lavari, dein munda sindone insterni, super quam sanctissimum tantisper Sacramentum quiescere posset: quod simul ac factum est, radiare

facies decumbentis, animaque corporeis vinctulis excedere visa est, Sacramento nusquam componente, creditus Sponsus in cælum voluisse comitari sponsam suam. ANNAL. Ord. Servitorum.

Ut autem horum exemplum, quoad licet imitemur, merito movere potest notatus dignissima S. Chrysostomi sententia sic loquentis: Quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio eductus, sed dignus habitus, qui id et vidisset ipse, et audisset, quod, qui de hac vita emigraturi sunt, si mysterium hujusmodi, cum pura, ac munda conscientia participes fuerint spiritum efflaturi, ab Angelis eorum animas satellium more stipantibus propter assumptum illud sacrum hinc recta in cælum adducuntur. S. CHRYS., lib. III.

Suprema Unctione mature se ad exitum comparare.

Quanta in hoc Sacramento eluceat benignitas ac liberalitas Dei, ac Domini nostri, facile intelliget, qui expendit, quanta hominis infirmitas sit, quantave oblivio, quantæ hostium insidia, quantus furor, quibus ea potissimum hora miser homo expositus est, quæ sane causa fuit, cur a Suario Sacramentum spei fuerit appellatum, quod a Concilio Tridentino hauserat, ubi magnam divinæ misericordiæ fiduciam dicitur excitare. Unde S. Thoma teste, manifestum sit hoc Sacramentum ultimum esse, et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad participandam gloriam præparatur. Unde factum, ut quicumque animæ, corporisque salutem dilexerint, sollicite hoc Sacramentum sub mortem postularint, ac susceperint.

Singulari id religione suscepit Wazo Leodiensis Episcopus, qui morbo ingravescente, cum duobus tantum secreti hujus arbitris corpus lavit, ob reverentiam sanctæ unctionis, ac deinde solemnter inunctus est.

De S. Adalardo scribit Surius, cum vitæ termino instante rogaretur, num vellet oleo sancto perungi, erectis in cælum oculis obsecrare, ut fieret, eoque munus extendisse manus in cælum, dicendo: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui mysterii Sacramenta, et nunc quid superest, nisi ut ad te veniam? SURIUS, in *Vita*.

Lanfrancus Episcopus infirmitate correptus, convocatis ad se fratribus, cum omni pietate extremæ Uctionis Sacramentum postulavit, cumque officium perageretur, sedulus ipse cum aliis respondebat. *LYRÆUS. de Imil. Ch., l. VII, c. 1.*

Otho Bambergensis laudatissimus præsul, vitæ præsentis cursu ad exitum tendente, tanta virtute artus fatiscientes spiritui servire cogebat, ut oleo sacro infirmorum ungendus, non jacenti, sed sedenti id sibi voverit administrari.

B. Maria Ogniacensis, dum B. V. præmonente, extremam unctionem acciperet, omnes præcipue affluere Apostoli, et eorum coryphæus Petrus, claves illi ostendens, pollicebatur se venienti cœli janam patefacturum. Porro Christus signum crucis, vexillum victoriæ suæ ad ejus pedes defixit, cumque in diversis locis ungeretur, in ipsa Sacramenti perceptione, Sancti Spiritus operationem cum ingenti singulorum locorum illustratione persensit. Alias dum ea præsentem, Uctionis Extremæ Sacramentum ægroti suscipere, illa Christum cum Sanctorum multitudine adesse sentiebat, ægrotumque illum misericorditer corroborantem, demones expellentem, animam purgantem, sequæ dum membra ejus ungerentur, quasi in lumine, per totum corpus diffundentem videbat.

Post diuturnam corporis ægritudinem tenebat ad finem B. Lyduvina virgo, cum vidit Dominum Jesum, non sine sanctissima Matre, ac duodecim Apostolis, et plurimis Angelis ad se ingredientem. Vidit mensulam instructam, et in ea, cœu sacri olei vasculum elegantissimum; cruceum quoque pulcherrimum, et cereum valde luculentum, totum cubiculum mirifice collustrantem. Erat tum corpus virginis innumeris doloribus a vertice usque ad pedes oppressum, et ecce sensit ab ipso Salvatore sacerdotibus induto vestibus, loca corporis sui omnia perungi, quæ in morituris sacro oleo ungi solent: utique cœlesti Magistro reapse discipulum docente, quid eo potissimum tempore et fieri conveniat, et factum conducit. *Vita, l. III, c. XI.*

S. Theresia tanto mentis ardore poposeit, tanta reverentia accepit, ac denique ipsa ad orationes singulas rite respondit, susceptoque denique Sacramento iterum supremo Numini gratias maximas egit, quod in Ecclesia emori concessisset, identidem illud

repetens. Tandem, Domine, Ecclesie sum filia. *RIBERA, l. I, c. XV.*

Margarita de Arbonse ex Ordine S. Benedicti religiosissima Abbatissa, quæ sub ultimam vitæ tempus interrogata, an vellet sacro oleo ungi? ita, inquit, quam maxime, atque ex imo corde flagito; verum ad conscientie suæ arbitrum conversa: effectus unctionis hujus, quaeso paucis edoce; quibus intellectis, adstantium precibus se commendans, uncta fuit, ad singulas sensuum uncturas, de peccatis, quæ aliquando per eos irreperant, veniam quam demississime postulans.

Quantopere vero noceat neglectus hujus Sacramenti, colligitur ex sequenti facto in vita S. Joannis Dei narrato. Decumbat in Granatensi nosocomio, cujus curam Joannes gerebat, æger aliquis, cui Sanctus Extremam dari unctionem volebat: deprecabatur autem eam infirmus, needum afferens tempus venisse: valde enim mortem horrebat; Joannes ne afflicto adderet afflictionem, annuit. Interim absente Joanne moritur, dumque eum cum suis religiosiis sociis terræ mandaret, levavit se, et dixit clare, propter neglectam extremam unctionem ad annos se omnino viginti piacularibus flammis addictum esse.

Animo ad mortem prompto vitæ excedere.

Quantopere hæc industria conducit ad mortem pie optendam, dilucide ostendit Tanlerus ita loquens: Nullum exercitium in extremis utilius esse potest, quam ut quis Christi exemplo seipsum ex integro divinæ voluntati resignet: fieri enim nequit, quin is qui ejusmodi vera perfectaque resignatione, cum sancta erga Deum fiducia ex hæc luce discedit, confestim ad cœlestia regna pertingat. Nam sicut omnino nihil penæ, nihil ignis purgatorii in Deum cadere potest, ita nec in hominem, qui eo modo per voluntatis conformitatem, amoreque Deo unitus est, dicens assidue cum Vate regio: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, *Psalms. LVI, 8*, hoc est, explanante Bernardo: Paratum ad secunda, paratum ad adversa, paratum ad sublimia, paratum ad humilia: addo ego paratum ad vitam, non alio fine, quam ut perfectior evadam, ut pro peccatis faciam satis: paratum ad mortem, ut finem peccandi inveniam, et fe-

lix amandi te initium ducam. Et fundamenti quidem loco, cui præcellens hæc, excessaque virtutis machina innitatur, nostra, inquam, cum divina voluntate conformatis exurgat, requirunt Doctores, mortis nuntium imminetis, ea animi æqualitate, et sensu a denuntiantem suscipere, qua solet res maxima, longeque gratissima inter homines acceptari, cum certum sit, nullum in terris majus atque excellentius ab amico posse beneficium expectari. *TANLER.*

Grande hoc mysterium non ita pridem, persona quadam pia ac prudens, quæ morti jam ex gravissimo quodam lapsu facta vicinior, dum multorum precibus ad concipiendum pro impetranda sanitate votum, instantius urgeretur, nullam, inquit, divinæ voluntati vim fecero. Dominus est, quod bonum videtur in oculis suis faciat. Aureum dictum *1 Is., Lyr.*

S. Bernardus de fratre suo Gerardo, sic scribit: Accitus sum ego ad id miraculi, videre scilicet, exultantem in morte hominem et insultantem morti. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? jam non est stimulus, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, et moriendo cantat, usurpatis ad lætitiæ mater mœroris, usurpatis ad gloriam gloriæ inimica, usurpatis ad introitum regni porta inferi, et fovea perditionis ad inventionem salutis, idque ad hominem peccatorem. Juste nimirum, quia tu inique, in hominem innocentem, et justum potestatem temerariam usurpasti: Mortua es, o mors, et perforata hamo quem incaute deglutisti, cujus illa, vox est in Prophetis: O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne; illo, inquam, hamo perforata transeuntibus per medium tui fidelibus latum, lætumque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat, larvalis effigies, Gerardus per medias fances tuas transit ad patriam, non modo securus, sed et lætabundus et laudans. *S. BEAN., s. DXXXVI, in Cant.*

Decumbere cœperat ex gravi morbo Stanislaus Hosius Cardinalis Varmiensis, cum ad audiendum Episcopum, publicas pro salute ejus preces, supplicationesque instituisse, magnas, inquit, gratias ago Episcopo, et virginibus istis, atque omnibus qui pro me miserissimo peccatore sollicitudinem istam cœperunt, scioque magnum pondus habere apud Dominum castarum Virginum, et innocentium puerorum orationes: sed

nihil aliud ego volo, quam quod tu vis, Domine, fiat voluntas tua: ne momento quidem temporis vivere cupio, ultra quod constituit mihi Dominus. Paratum cor meum, paratum cor meum. *RESCAUS, in Vita.*

Philippus II, Hispaniarum Rex, in fatali morbo, divinæ voluntati devotissimus, illa Servatoris verba, pene infinites repetiit: Pater, non mea sed tua voluntas fiat: cumque ex sacro Evangelista Christi Domini passio ad apostema ferro secundum, prælegeretur, jussit Rex, ad illa ipsa Domini verba: Pater non mea, sed tua voluntas fiat, lectorem nonnihil subsistere. Tanti Regum iste maximus hanc mentem tam sanus, quam æger ac moribundus æstimavit.

Paulus le Jeune, in historica sua relatione sic loquitur plures in Kebecana residentia Neophytos ægros jam, et gravi affectos valetudine vidimus, quibus persuaderi non poterat, ut suam a Deo depocerent sanitatem: hoc unum pro omni ratione causati: Is noster pater est, cui non signis cura de nobis est, ac melius, quid nobis expediat novit: fiat voluntas ejus. Cumque nostrorum aliquis unum eorum forte suggereret, votum S. Josepho faceret, cujus provincia tutelæ commissa est, ut meritis suis apud Dominum vitam illi ac sanitatem obtineat, responsum sane non jam Neophyto, sed veteri Christiano dignissimum retulit: Morem tibi lubens gesserò, sed si meæ relinquere me voveris libertati, unum id confestim postulato, ut eam mihi S. Josephus gratiam impetrasse velit, qua sanctissimam Dei mei in omnibus adimpleam voluntatem. Alias cum vegetus quidam ac robustus adolescens nosocomium perambulans, ad vicinos decumbentes sermonem converteret, peteretque quo pretio similem suæ valetudinem mercari vellent, eorum unus illico, nec procul accessito responso inquit: Nollem ego profecto vel captus de uno in alterum latum contorissis, pro universa totius mundi sanitate, bene autem pro absoluta mea ad divinam voluntatis compositionem.

S. Gertrudis ex firma confidentia, quam erga Dei bonitatem habebat, sæpè numero mori desiderabat, et rursum divinæ voluntati ita erat unita, ut æque parata esset adhuc vivere, sicuti juxta Dei beneplacitum mori. Ipsa itaque aliquando iter faciens, dum conscenso monte quadam ad decliv-

ra loca decidisset, exhilarata spiritu, dixit ad Dominum : O bone Jesu, quam bene mecum ageretur, si casus iste mihi dedisset occasionem celerius ad te perveniendi ! Et his qui aderant perunciantibus an non formidaret mori, non munita sacramentis, respondit : Ego quidem toto corde opto salutiferis sacramentis muniri, antequam moriar ; verumtamen ipsis confidenter præfero Domini mei providentiam ac voluntatem ; et sive subita, sive proluxa morte ille me hinc exire voluerit, voluntas ejus mihi gratia erit ; nam qualicumque obitu ex hac luce migravero, spero Dei misericordiam nunquam mihi defuturam, sine qua consequi nequeo salutem. Hinc eadem Gertrudis ante mortem suam, Dominum allocuta legitur his verbis : Quamvis, Domine mi, præ omnibus deliciis mihi optabile, et jucundum sit, ut e carcere carnis educta tibi adjungar ; si tamen velles me hic manere, eligerem usque ad diem judicii in extrema miseria ad laudem nominis tui degere. Quam voluntatis resignationem Dominus gratissimam habuit.

S. Lydvina omnigenis exercitata doloribus miserandum sui spectaculum dedit, ac velut omnium fere morborum conducta domus, cui mors ipsa imminabat, habebatur ab omnibus, adeo tamen in Domino voluntatem suam defixerat, ut nihil interim neque cogitare neque dicere, neque facere, meditato liberet, quod cum divino minus congrueret arbitrato, fertur cum Hussitarum regulo frequenter suspirasse : Hoc mihi, Domine, acceptissimum erit, ut affligens me, dolori non parcas, cum tuæ voluntatis executio summa mihi futura sit consolatio.

Faustina virgo, quæ posteaquam longis valetudinibus ac perpetua tæbe ita esset exhausta, ut vix pelle ossa continerentur roganti Patri spirituali, an satis adhuc dolorum esset ? minime gentium, inquit, addiditque, si vel efformato leviter crucis signo febrim, sanguinique excreationem, qua conficiebatur, abigere posset, se manum, digitosque non esse moturam. CACCIÀVERA, in *Vit.*

Maria Princeps Parmensis, quæ cum ad eam felicitatem maturesceret, quæ feminam beare potest, longa primum tæbe acerrime conflictata, mox a medicis conclamata fuit. Suprema itaque incumbente necessitate, admonentibus, qui excedenti Principi

aderant, ut a Christo Domino, cujus in cruce suffixi, atque trajecti sigillum ad complexum et oscula Christiano ritu postulatum acceperat, pro veteris pietatis familiaritate ampliationem postularet, egone, inquit, ab hoc Deo meis sceleribus tam indigne habitato, ut ullam a supremis hisce doloribus vacationem audeam postulare ; non faciam, hic enim morientis Salvatoris habitus patientiæ admonet, atque imitationis. Recte ergo concludit S. Hieronymus dicens : Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, et laqueis secularibus exsolutos, Paradiso restituit et regno celesti.

Imminente morte totum agere cum Deo.

Hanc ob causam Christus eclipsis trium horarum fieri curavit, ut ante mortem cum celesti Patre accuratus ageret, nosque omnes suprema illa hora et solos esse, et soli omnium servare nos ipsos, quem ex omnibus nobis elegimus, edoceret, ut S. Bernardus notavit. Nec desunt plura hujus industriæ exempla.

S. Augustinus, ut supra dictum, morbo lethali correptus, ante dies ferme decem, et soli omnium servare nos ipsos, quem ex omnibus nobis elegimus, edoceret, ut S. Bernardus notavit. Nec desunt plura hujus industriæ exempla.

Grimaldus Abbas Wintoniensis sacrosancto viatico jam instructus, a fratribus petit, ut solus per triduum ad iter suum parandum relinqueretur, quo tempore in contritione cordis et lacrymarum imbre se Deo immolavit. Quarto autem die fratribus ad se revocatis,isque bene precatus excessit. Jo. MOLLANUS, in *Vita.*

Ambrosius Sansonedius infirmitate ultima correptus, ne a contemplatione divinorum impediretur, medici tantummodo visitationem admittebat, eademque de causa sæpius ad parietem se convertens, quietus orabat. Morti proximus, advocatis patribus ac fratribus vale ultimum dixit, magnaque admodum pietate spiritum dedit. JULIUS SANSEED., in *Vita.*

Dominicus de Sancto Severino in Picensi magnæ virtutis Ascetes triduo ante obitum noluit a quoquam visitari, sed dictum omnibus voluit, se in animæ suæ negotio occupatum esse ; toto autem illo tempore ad mor-

tem feliciter obeundam se expediens, tandem in Domini sui manus spiritum resignavit. MARIAN., in *Chron.*

Camillus de Lellis vir in ægrotorum subsidium factus, postquam sacro esset viatico reffectus, noluit postmodum ullos in conclave viros nobiles admitti, dictitans, cum mors dumtaxat semel oppetatur, ut bene oppetatur, in primis curandum esse.

S. Elisabeth Thuringiæ Principis vidua correpta infirmitate, ultimum ante diem sui obitus tertium jussit omnes cubiculo excedere, qui ad ipsam visendam convenerant, nullosque in posterum admitti volens, cupio, inquit, tumultus externi vacua meminisse judicis mei, terribilisque censura, quam per brevi habeo subire. S. ANT., p. III, tom. XIX, s. II.

B. Lydvina Schedamensis virgo Thaumaturga morti proxima Dominum rogavit, ut sola sine ullius mortalis solatio spiritum reddere posset. Et voti compos facta fuit. Quando igitur migrandi tempus advenisse intellexit, obnixè amicos omnes, uti recederent, obsecravit, si inveni, inquit, ullam apud vos gratiam, quaeso, ut hac die patiamini me solam manere, unico apud me relicto nepotulo meo, per quem indicabo, si quid a vobis mihi præstari velim. Illis itaque abentibus cepit virgo exitum suum Domino commendare, cumque subinde gravibus calculi doloribus urgeretur, neque jam loqui amplius posset, accessit puer sacerdotem, et alios ; sed accedentes in agone constitutam invenere, de quo illo mors victrix ad palmam feliciter evolavit. BAUCX., in *Vita.*

Venerabilis Joanna Annunciarum virginum fundatrix, vitæ suæ mortalis exitu appropinquante claudi jussit cortinas suas, quasi lucem mundi hujus vitæque excludens, ad aliam maxime aspiraret, hoc præcavens, ne illius tenebræ hujus radios offuscarent. Nec opinione sua Princeps optima falli, fraudarique visa fuit ; mox enim in sua hac solitudine ad Deum conversa, vidit lucem quantum de celo in pectus suum descendere, ac substare, qua suavissime expiravit.

Psalmis, et hymnis concinendis diem ultimum obire.

Quamvis id, quod suos olim docuisse Salvator auditus est : Oportet semper orare,

et non deficere, universum vitæ nostræ curriculum complecti debeat, præcipue tamen ejusdem terminum spectare mihi semper visum est, quando et ejusdem necessitas præsentior, et utilitas solet esse præclarior ; quod Siracides Eccl. 18 his verbis testatus est, dicens : « Non impediatis orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum, quod d. nec timor, nec pudor te abstrahant ab orando ; quousque vita comite id poteris præstare ; ut idem tibi, et vivendi finis sit, et orandi ; quamdiu namque halitus tibi supererit, tandiu ex oratione fructum capies immortalitatem, quem denegare ille non poterit, qui se invocatum adfore promisit in tempore opportuno. »

Præbuit in hoc exemplum clarissimum Christus, qui teste Apostolo in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis obtulit. Et homo per ignaviam id negliget, quod Deus tanto affectu præeundo monstravit ? HEB., c. III.

S. Nicolaus Myrensis Antistes, cum intellegeret suæ migrationis horam adesse, in hymnos, et orationes diffusus, in cælum suscepit, et cum Angelis sibi occurrentibus intueretur, Psalmo illo pronuntiavit : « In te Domine speravi » usque ad eum locum, « in manus tuas commendo spiritum meum, » lætitiæ significatione adstantibus vale dicto, in cælum abiit. BAR., c. I.

S. Franciscus Seraph. appropinquante mortis hora, ipse, uti potuit Psal. cxli pronuncians, nempe : « Voce mea ad Dominum clamavi, » in eo versiculo, « me expectant justi, donec retribuas mihi » ad æternam retributionem in societate justorum percipiendam, commigravit. S. BON., in *Vita.*

Sanctus Augustinus, ut supra dictum, mortem sibi sentiens imminere, septem sibi Davidicos Psalmos, quos a penitentia nominant, describit, et ad proximum lecto parietem jussit affigi, quos magna pietate lacrymis diffuens legebat.

S. Petrus Cælestinus morte appropinquante Psal. cx instar cygni decantans, ultimis ejus verbis : « Omnis spiritus laudet Dominum, » mortuus est.

B. Albertus Carmelita, qui prope adesse cernens extremum suæ vitæ diem Psalmum exorsus est LIII : « Deus in nomine tuo salvum me fac, » cui adjunxit trigesimum :

« In te Domine speravi, » quibus dictis anima ejus instar columbæ candidissimæ visa est in cœlum tendere.

S. Archiepiscopus Antoninus febrî correptus ultima, crebro audiebatur iterare postremum Psalmum : « Laudate Dominum de cœlis, » quo in omni vita plurimum oblectari consueverat ; si quid vero a psallendo cessasset, complexus crucifixi imaginem tanto ardore osculabatur, ut, qui aderant, a lacrymis se continere non possent. VINCENT. MAINARD, in *Vita*.

Sub extremam vitæ suæ horam, S. Hubertus Leodiensium Præsul viso dæmone sibi terribilibus minis illudente, Psal. xc : « Qui habitat, » concinere cœpit, quo stygius nebulo depulsus procul abscessit. MOLAN., de *gestis Pontif.Leod.*

Adversa, eaque ultima valetudine correptus Sanctus Barchardus Heribipolensium Episcopus, tardantem, et migrare formidantem animam hortabatur psalmographi canticis nempe Ps. xl et xli : « Quemadmodum desiderat, » et Ps. lxxxiii : « Quam dilecta tabernacula tua. » Atque ita alacritate maxima spiritum exhalavit. SURUS, *An. 5.*

Carlephus Abbas Madoalensis mortî proximis, expansis in cœlum manibus, hilari facie concinere cœpit illud Ps. lxxxviii : « Misericordias Domini in æternum cantabo, » et illud Psal. xxx : « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, » sacratissimoque viatico munitus adjecit, ex Annæ canticis : « Confirmatum est cor meum in Deo meo, » infer quæ verba gaudens emisit spiritum. BARON., tom. VII.

Margarita Virgo Hungarica Ecclesiasticis jam munita sacramentis, ubi extremam diei horam, qua se morituram prædixerat, venisse cognovit, Psal. trigessimum concinere cœpit : « In te Domine speravi, » cumque dixisset : « In manus tuas commendo spiritum meum, » felicem animam in cœlum transmisit. SUR., t. III.

Verdiana virgo ex ordine Vallis umbrosæ, dum in eremo triginta annos vixisset, diem supremum sibi instare cognoscens, Psalmos a penitentia vocitatos, genibus nixa recitare cœpit, ac tandem anima Deo reddita eo situ genibus flexis, et manibus ad cœlum elevatis permansit. SILVAN. RAZIUS.

S. Francisca Romana febrî correpta dissolutionem corporis sui in horas singulas expectabat, cum videns sibi aliquid etiam vi-

rum superesse, vespertinas Deiparæ preces voluit recitare, movebantur labia piæ matronæ, sed verba distincte audiri nequibant, quare dum sacerdos, quid ageret, inquirat, illa spiritum, qui minimus certe supererat, magno nisu colligens, respondit, se nunquam, ex quacumque infirmitate decumberet, officium B. V. intermisisse, cumque tunc foret vesperarum hora, eandem in ultima vitæ periodo recitandis precibus, uti par erat, transigere voluisse. JULIUS, in *Vita*.

Sui ante discessum bene precari, et salutaria monita dare.

Magno hic omnibus exemplo Salvator fuit, qui paulo antequam in agonem descendere : « Filioli, inquit, adhuc modicum vobiscum sum : quo ego vado, vos non potestis venire, et vobis dico modo mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » JOAN. xiii, 32. Mox sublevatis oculis in cœlum : « Pater sancte, inquit, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi ; ut sint unum sicut et nos : non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo, sanctifica eos in veritate. » Quem non pauci ex sanctis hominibus sunt secuti.

S. Bernardus moriens : « Hæc tria vobis commendo, quæ in stadio, quo cucurri, quantum potui, observavi. I. Minus sensui meo, quam alterius credidi. II. Læsus de lædente vindictam non expertus sum. III. Scandalum nemini facere volui ; si quando incidit, sedavi, ut potui. » LYNÆUS, l. I, doc. 7.

S. Honoratus Arelatensium Episcopus, ultima correptus infirmitate, cum a Præfecto cæterisque magistratibus visitaretur, benedictionem, et monita omnibus imperavit : « Videtis, inquit, quam fragile habemus hospitium, et post multa hæc vobis Honoratus vester hæreditatem relinquit, supremo halitu suo ad hæreditatem vos regni cælestis invitat, nullus mundi hujus amore nimium teneatur, optimum est, ut voluntate quisque id fastidiat, quo se videt necessario cariturum. » S. HILAR., in *Vita*.

B. Paulus Leonensis in Britannia minore Episcopus, per Angelum vitæ suæ die intellecto, congregatis discipulis : « Filioli mei, inquit, novissima exitus mei hora appropinquat, scitis, quæ ostenderit vobis exempla

vitæ, et quæ tradiderim dogmata cælestis disciplina, hæc facite, et Deus pacis erit vobiscum ; » quibus dictis elevata manu benedixit omnibus, dicens : « Benedictio Dei Patris omnipotentis, Filii, et Spiritus Sancti super vos descendat ; » cumque respondissent omnes, Amen, in conspectu eorum vitam centenariam cum æterna commutavit.

Amasius Episcopus Theanensis humanæ peregrinationis suæ adesse finem intelligens, civium primoribus ad se congregatis cum monita multa dedisset, suam imperitiam benedictionem, dicens : « Semui, et incanui, filii mei, conservatus coram vobis, ab hora, quæ Deo placuit, usque ad hanc diem pro animabus vestris nequaquam laborem recusavi ; nunc vero Dominus vocat me, cui præsto sum, estote ergo fideles, et, operamini in dilectione Dei et proximi usque ad mortem, et regnabitis in æternum. Benedicatur itaque vobis Deus, et opus omne manuum vestrarum de excelso solio fortunet, licet crescere vos faciat de charitate in charitatem, ut sitis ante faciem ejus in fine sæculi mundi, et immaculati. » REGIUS, l. II, *Vide Nea.*

S. Dunstanus, adveniente obitu sui die, congregatis circa se filiis, de corpore exire non properabat, et ecce cum lecto, in quo jacebat usque ad superiora domus elevatus est, sedes trabibus obsistentibus, ne ultra veheretur, in terram leviter demissus fuit, idque tertio factum est, cum ad suos conversus : « Ego vos, inquit, oculis vestris, quo vocor, invitavi estis ; et quo vadam. Nostis viam, qua obitissimi ; nostis opera, quibus insudavi, dum vixi ; quapropter breviter mos moneo, si quo vado, vultis venire ; qua incessi, non pigeat vos ire ; ipse benignus Deus, qui direxit iter meum ad se, dirigat ad omnem voluntatem suam corda, et corpora vestra in pace. » Respondentibus cunctis, Amen, in pace quævit. BAR., t. X.

S. Dominicus postquam sibi mortem imminere conspexit, advocatis fratribus, et disciplina suæ alumnis, in hæc verba vale dixit : « Fili, et fratres mei, quos animo impressos circumtulî semper, et porro quoties feram, ecce nunc ultima mihi vite linea imminere videtur, quamobrem pro vestro solatio, majoreque Dei gloria secretum quoddam vobis explicabo : hucusque pro sua misericordia Deus virginem integritatem, quam ex utero matris accepi, servare mihi dignatus est illibatam. Porro que-

madmodum effusa fuit adversus me Dei liberalitas, ita confidite filii eandem vobis non defuturam, sed qui quæstum hunc desiderat, sumptum facere non recuset. Opus est huic thesauro servando vigiliis, precibus et familiaris ac mulieribus congressus fuga. Nullus integritatem suam periculo committat, quavis occasio satis esse potest ad hanc corrumpendam, nulla major negligentia est, quam quæ propriæ aut alienæ virtutis confidentia fundatur ; venerabile, sanctumque castitatis nomen instar vitæ est, quæ facillime amittitur, nec ullo potest modo resarciri. » Hinc eos ad amorem Dei, humilitatem ac pauperatem adhortatus, sublatis sursum manibus, dixit : « Pater sancte, tu scis, quia libenter perstiti in voluntate tua, et illos, quos mihi dedisti, custodivi, ut nunc commendo eos tibi, tu illos serva, et custodi ; ego ad te venio Pater cælestis. » *Annales.*

S. Romualdus, diuturno jam langore ad extrema perductus, erigens se de lectulo, fratres suos magno istic numero circumstantes potenti sermone esse allocutus. Tum summa humilitate inter eum, et fratres, alterna facta confessione, nec non precata peccatorum indulgentia, intimis suspiriis primum summo Pastori commendavî gregem sibi commissum, deinde fratribus valedicens ait : « Abite fratres charissimi, et hoc ultimum senis memoriale pro benedictione habetote : In nomine Domini, salus omnium nostri. » CANIS., in *Antiq. lect. t. II.*

S. Theresa moritura sic suas sorores adhortata est : « Obsecro vos in Domino, inquit, filiae meæ charissimæ ac Domine, ut primævas insituti leges, simul et constitutiones, quam accuratissime integerrimeque observetis ; simul etiam pravum, quod hæc parum diligens vobis monialis exemplum dedit, neutiquam respiciatis, sed quidquid hocipso deliquit, benigne condonetis. » Orantibus hiis vicissim matrem, supremum se ut compelleret, aliud dicere noluit, quam ut regularum statuta, et constitutionum decreta ad unguem servarent, superioribusque suis nunquam non obedientiam sinceram præstarent, quod ipsa monitum aliquoties inculcando repetebat.

B. Angela de Fulgino mortî propinqua ad adstantes conversa : « Filioli mei, inquit, quæ dico vobis, propter amorem Dei dico, quia non libenter porto sub terram aliquid, quod vobis possit prodesse, placuit

divina bonitati, dare mihi curam, et sollicitudinem omnium vestri, qui sunt in hoc mundo, et ultra, et circa mare: ego autem custodivi vos, ut potui. O Deus meus, amodo resigno eos tibi, et rogo, ut conserves eos in omni bono, in amore paupertatis, despectus, et doloris, in transformatione, et imitatione vitæ tuæ, et perfectionis, quam nobis verbo, et facto ostendere voluisti. Vos autem, o filii mei, hortor exhortatione hæc ultima, ut studeatis esse parvi, vere humiles, et mansueti, discipuli ejus, qui dixit: Discite a me quia mitis sum, et humilis corde. Habete charitatem, sine qua non est salus, nec meritum; neminem judicetis, et si videritis hominem peccare mortaliter, non dico, quod non displiceat vobis peccatum, et quod non debeatis illud abhorrere, sed dico nolite judicare, nec contemnere peccantes, quia judicia Dei nescitis. » His dictis, imposuit manum suam supra caput singulorum, et ait: « Benedicti sitis a Domino, et a me filii mei, vos et omnes alii, qui hic presentes non sunt, et sicut significatum est mihi, et demonstratum a Domino, ita istam æternum benedictionem vobis concedo presentibus et absentibus: idem Christus det eam vobis cum illa manu, qua fuit in cruce clavata. » ARNALD., in *Vita*.

SS. Jesu nomen ante mortem pronuntiare.

A militibus excubiis agentibus vigillarum verbum tesserarum exigitur, quod si reddant, salvi evadunt, Symbolum tesseraque Christianorum Dei nomen est, quo omnia fidei mysteria, spei fulera, charitatis incentiva continentur. Felix, qui, cum venerit Dominus, hæc tesseram reddiderit, salvus profecto evadet, et tanquam verus Christi miles agnosceatur, attestante Joële cap. ii, 3: « et erit: Omnis qui invocaverit » (quem admodum oportet) « nomen Domini salvus erit. » Hinc articulo huic supremo præcipue quadrat sequens S. Bernardi admonitio: « Tristatur aliquis nostrum? Veniat, inquit, in cor Jesu, et inde saliat in os, et ecce ad exortum Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum; cui enim in adversis diffidenti, jam jamque deficienti, si nomen adjutoris sonuit, defuit? » Id quod non pauci observarunt.

S. Ignatius Loyola cum instare sensisset

ex hac vita suæ migrationis diem, compositis omnibus, ac manibus junctis, oculis in cælum defixis, Jesum corde, Jesum ore implorans, placido vultu sanctissime ad Dominum migravit. RIB., l. IV, c. XLV.

Card. Bellarminus ætatis suæ anno 79, cum morte collectans trigesies summo pietatis affectu sacratissimum Jesu nomen pronuntiavit.

Jacobus a monte Brandono e religiosissima Minorum familia, gravissima, qua corripiebatur, infirmitate ad extrema perductus, sanctissimo Jesu nomine religiose invocato, quos patiebatur, lenire studebat, dolores, unum hoc fratres suos obtestans, ut sibi in auribus istud, quando per se amplius invocare non posset, assidue insonarent. *Hist. Seraph.*, l. I.

Joannes Dei ut in cætera vita sanctissimum hoc Nomen præcipua veneratione est prosecutus, ita quoque in extremo ejusdem margine positus, id ipsum est contestatus, dum in genna provolutus voce magna exclamavit: « Jesu, Jesu, in manus tuas commendo spiritum meum, » et expiravit; corpus vero, ut erat flexis genibus innixum, ita et remansit.

De S. Hugone a S. Victore scriptum invenitur, tria hæc in votis habuisse, I. Ut cibus ultimus esset SS. Eucharistia. II. Ut ultima ejus cogitatio, seu meditatio esset de passione Domini. III. Ut ultimum ejus verbum esset dulcissimum nomen Jesu. LYREUS, l. IV, *Vita*, 27.

Catharina Bononiensis, paulatim deficientibus viribus, vultu pulchriore, ac lucidiore apparente, adstantes omnes aspexit, deinde sanctissimum Jesu nomen tertio invocans, brevi suspirio spiritum reddidit.

S. Mechtildis in mortis agone constituta, nihil dicebat aliud, quam Jesu bone, Jesu bone; quæ verba sæpius replicabat, cum ecce instante morte apparuit illi Jesus, invitans eam suavissime: Veni benedicta patris mei, posside regnum.

Theodoricus Canisius Petri frater, merito Pater a Jesu Maria nuncupari potest, a singulari cum his beatissimis nominibus conjunctione, ultimisque divitiis. Hunc ad se visendum Friburgum venientem Petrus ita est allocutus: « Vide, Theodorice, quid mortis meæ nuntius sit tibi allaturus. » Lucernæ mensæ assidente cum aliis Theodorico Petri Canisii mors, nū solet, legitur. Tum Theodoricus apoplectus repente factus, omnium-

que omnino oblitus est, etiam legendi, et sui nominis alique loquendi: Hoc tamen occasu memorie, ne tota illi memorandi facultas occidisset videretur Theodorico, Jesus, Maria semper in mente, et lingua, fidelis, et ultima salutis tessera ita hæsit, ut qui nec suum, nec aliena nomina tenebat, teneret nomen Jesu, et Mariæ, quique alia pronuntiare non poterat, hæc duo ex integro pronuntiaret, reliqua turbate omnia, et confuse, ista sancte. Litteras ex integro se iterum velle discere innuebat: sed frustra erat. Libello ergo precum grandi characteres Jesus Maria inscribi sibi voluit, atque hæc duo tantum legere, et voce exprimere poterat. Legentes tamen audiendi avidus fuit, usque dum ultimo vitæ biennio ne id quidem assequeretur, quod legi audiebat.

Mans illi ad omnia vel errans, vel prociis inutilis: formando tamen crucis signo frequens, et apta erat; ita septem, et amplius annos vixit semimortuus, pia certe memorie a fidelitate retenti Jesu, et Mariæ nominis, cæterum eorum omnium, quæ retro hæc sunt oblitæ. Extremo denum oleo expiatus vocem Jesu tantum, et Mariæ hæctenus addictam in hæc verba conatu magno aditus expetivit: Ad cælum! ad cælum! Tum linguam suis iterum Jesu, et Mariæ repetendis nominibus aptam reddidit. Mans illi in formando crucis signo elanguere, lingua ad balbutiæ usque hebes, jam Jesum, jam Mariam simul, nunc singulos tantum referebat. Jesum dixerat ultimum, cum os, et linguam ad Mariam edicendam componentem, dicto jam Ma, vires ad reliqua defuere. Ita ille in ipso illius nominis medio elinguis toto viginti, et amplius horarum spatio animam duxit. Angelum vocabant ii, qui candidos illius mores longo usu experti amabant: Jesum dixit, Mariam dicebat, quæ conticuit, reliquum perfecturus in cælo, ubi Dei æternum memor delectabitur, et in memoria æterna erit justus, in fronte astitit, post mortem signum crucis, quod antea visum non fuerat, observatum.

Obiit Ingolstadtii anno ætat. LXXIV, Societatis sub ipso S. P. N. Ignatio initæ LI.

Coram SS. Dei Matre, ejusque dulcissimo Nomine invocato, supremum Spiritum exhalare.

Quantopere etiam hæc industria conducatur ad felicem mortem impetrandam sat clare

indicat Pius V, dum in Salutatione Angelica, in qua prius tantum dicebatur: Ora pro nobis peccatoribus, addi jussit: Nunc, et in hora mortis nostræ, Amen. Et merito, nam ut S. Bonaventura Virginem hæc allocutus dixit: « Gloriosum, et admirabile est nomen tuum, Maria, qui illud retinent, non expavescent in hora mortis; ab invocatione nominis tui intrepidat spiritus malignus, pax multa observantibus nomen tuum. » Quod inde magis confirmatur, quod ipsa S. Mechtildis quondam dixerit: « Ego omnibus, qui mihi pie, et sancte deservunt, volo in morte fidelissime tanquam Mater piissima adesse, eosque protegere ac consolari, et sane non pauci sunt experti. »

Rex Stephanus, qui Christo Hungaros subdidit, tutelam sibi, regnoque suam æternam castrorum aciem ordinatam Virginem matrem elegit, qui sentiens suæ adesse migrationis tempus, oculos in cælum erigens, ait: « Regina cæli, mundi incluta reparatrix, tuo patrocinio sanctam Ecclesiam cum Clero, et Episcopis, regnumque cum primatibus, et populorum precibus commendo, quibus ego nunc ultimum vale dicens, animam quoque meam tuis manibus committo. » BONIF., l. I, dec. ii.

Fuit et Ano Coloniensis Episcopus, qui de obitu suo imminente per visum edoctus, sublatis manibus exclamavit: « Sancta Maria succurre miseris, succurre Colonia; » deinde gloriose Virgini, quam videre præferebat, plurimum se commendans migravit ad Dominum. LAMB., *Chronica*.

Richardus quoque Cisterciensis Episcopus in Anglia, mortis suæ hora appropinquante, ad beatissimam Christi matrem, allata ad se ejusdem effigie, corde et voce se convertens ait: « Maria Mater gratiæ, materque misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et mortis hora suscipe; » suisque mandavit Capellanis, ut eadem verba ad ejus aures pronuntiare non cessarent, atque ita inter suspiria, et Marianæ invocationis verba animam tradidit Creatori. SUR., in *Vita*.

Ludovicus Seguratus adolescens Religiosus et Soc. Jesu morbi tempore, qui illi supremus fuit, circum lecticam suam varias Beatiss. Virginis imagines affigi voluit, ut, quam in partem ipse forte fortuna oculos converteret, dilectæ matris effigiem inveniret, nec animam suam, alibi melius tutiusque, quam in sinu Virginis deponeret, aut supremum oculorum conjectum alibi

felicis, quam in ejus imagine sisteret, cujus præsentia æternum frui desiderabat. *Annales.*

Fuit in sacra PP. Prædicatorum familia religiosissimus concionator, qui conciones omnes suas narratione aliqua de Virgine Matre claudere solebat. Hic, morte imminente, amaris diffuens lacrymis, tristitia magna cor invadente solatium nullum admittere posse videbatur, sed encomiastem suum nequaquam deseruit Maria, ei se visendam præbuit, micorem omnem abstersit, et in jubulum suavissimæ voluptatis commotavit, protractisque cum eo colloquiis sub finem animam de corpore egredientem tuta statione collocauit. *Chronic. ord.*

S. Carolus Borromæus tria hæc per eam a filio ejus, petivit: I. Lacrymosum aspectum, et dolorosum suspirium Christi morientis. II. Unum ex dolorosis suspiriis, et lacrymosis aspectibus ac gemitibus cordis Mariæ, sub cruce Filii adstantis. III. Ut sibi Virgo succurreret eo mortis articulo, quando cor ejus rumpendum, et anima a corpore separanda foret. Et horum compos factus Carolus fuit. *GUFFAR., in Vit.*

S. Opportuna Virgo, cum diu orasset, ut dissolvi posset, et esse cum Christo, intelligens tandem, se a Domino exauditam, et diem vocationis imminere, dæmonem in cubili angulo adstantem imperterrita aspexit ac deinde ad ostium domus oculis conversis, « ecce, inquit, advenit Domina mea B. Virgo Maria, » et extendens brachia, quasi eam amplexari vellet, sancta ejus anima carne soluta est.

Decumbebat vidua pauperula; jam pene cum morte colluctans, rogabatur Parochus, ut supremis sacramentis ægram communire ne gravaretur; impeditus, ille Vicarium misit: et ecce rem miram, videt sanctam viduam super vile stramen humi decumbentem, angustissimam vero Dei matrem, cum splendido virginum cœtu viduæ adstantem ac sudorem mortualem sudariolo extergentem. Quid magis miramur? quæ major benevolentia fingi potest? sed, et sacerdoti viduæ confitentis aures datur, sellam Regina cœli obtulit, et allatum in venerabili Sacramento Dei Filium, mater cum omni virginum choro adoravit. Ita vidua pie sumpto viatico inter Deiparæ sanctissima brachia expiravit.

P. Joannes a campis beatæ Virginis Rosarium manibus tenebat assidue. Nullum diem

Sabbati vacuum habere sinebat, quin aliquam de B. V. historiam narraret, sub mortem ad quemdam conversus: « O si nosset, inquit, mi Pater, quantum in mortem affectum animo solatium, Deiparam singulari studio coluisse! » Similis huic est illa vox P. Francisci de la Hamajade Dionaniti morientis: Incredibile est quomodo ista misericordiae mater suos clientulos juvet in isto transitu. Ego certe sic ab illa me animatum sentio, ut, licet corpore deficiam, animo tamen potentior fiam. *NADASI.*

Cum p̄is ad Christum Crucifixum suspirium, et oculis obire.

Mirum est, ac fidem transcendere videtur, quod Monardes in historia Indica f. 74 recenset, in Peruvia ramum cujusdam arbutusculæ, seu plantæ inveniri, qui certo indicio homini ægrotanti, vel mortem, vel salutem præannuntiat. Si enim superstes homo futurus sit, hunc ramum alacrem, et lætum esse prehensurum; contra, si mesto animo eum stringat, mortem imminere constat. Adeoque id an. 1562 in domestico Comitibus de Nieva mancipio re ipsa comprobatur. Quicquid de rei veritate sit, hoc certum, Ramum crucis, qui lætus arripit, æternæ salutis omnia habet; qui respuit, mortis periculum subit.

B. Didacus Complutensis ex S. Francisci familia de proxima jam lætus morte, crucem ligneam, quæ ad caput ejus reposita erat, arcte complexus, et ore sæpissime osculatus, cum ingenti quadam pietate exclamavit: « Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera. » Quibus dictis animam reddidit. *ANT. COL., in Velat.*

S. Nicolaus Tolentinus paulo ante mortem crucem sibi offerri voluit, ut, inquiens, ejus virtute eum baculo altissimæ potestatis fultus, Jordanem hujus mundi libere transmittere, et ad paradisi gaudia feliciter pervenire possim. Allata cruce, in genua, ut potuit, lecto incumbens, et flens largiter dixit: « Salve crux pretiosa, quæ digna fuisti portare mundi pretium, quod in te quievit, et sedit, latronis misericordiam imploranti perierit, Matrem Virginem, virgini discipulo commendavit, Deumque pro crucifigentibus se rogavit, ille me per te defendit in hac hora ab hoste maligno. » *MORAN., tom. II.*

S. Comes Elzearius, cum sacro perunctis oleo, varias inter preces, quas coram se

fundi jusserat, audiret: Per crucem, et passionem tuam, libera eum Domine; ipse tertio eundem versum repetiit, addens: Hæc est spes mea, in hac volo mori. *SUR., in Vita.*

B. Alphonsus Rodriguez et Soc. Jesu sacro inunctus oleo, alienatus jam a sensibus, cum in eo statu fere per triduum hæsisset, simul atque a sacerdote crucifixi imaginem accepisset, quasi profundo quodam somno excitus, oculos aperuit, et facie, quæ ante pallierat, in ruborem versa, Christi pedes religiose osculatus est, et placidissime expiravit.

S. Antonius Crucifixi imaginem, morte appropinquante, tanto fuisse ardore complexum scribitur, ut a dulcibus oculis dissuavianda non ante finem fecerit, quam vivendi. *VINCENT. MAX., in Vita.*

S. Edmundus Cantuariensium Antistes sacro jam oleo delibutus crucem non sine lacrymis complexus, mira pietate Christi vulnera, sed lateris præsertim, crebro, et prolixius deosculabatur, illud repeleus Isaia 12: « Haurietis nunc aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. » *VINCENT., in Spec., l. XXXI.*

Joannes Aragonum Rex piissimus ad extrema devenerat, cum subito exclamat: « O me miserum, et infelicem, qui tam sero fallacem mundum cognosco: » conversus autem ad Christi crucifixi imaginem: « Miserrere mei, mei, inquit, clementissime Jesu et a peccatis meis faciem averte, illa motus misericordia, qua hominem a morte per crucem tuam redemisti; » atque hæc inter verba crucifixum sæpius exosculans, extinctus est. *LUCIUS MAXIM., l. XVIII.*

Raigrada Mater B. Petri Venerabilis post viri obitum monialis facta, dum graviter decumberet, crucem cum Domini imagine sibi deferri rogavit. Qua allata, adhuc ori suo Dominicam effligiem, et pedes ejus lingua allambens, vultui suo tota virtute corporis impressit, nullam sibi gloriam, nullam spem superesse salutis assorens, nisi in cruce Domini sui. Cumque expleta oratione circumstantes a vultu ejus imaginem Domini amovere conarentur; quid vultis, inquit, auferre Dominum meum? permittite eum mihi, quamdiu vixero, ad quem statim sum moriens transitura. Ita Christum in cruce illa videre se reputans, ab amplexu ejus divelli non potuit, donec suam in manus illius animam consignaret. *PET. VEN., l. IV, p. 17.*

Joanna de Cespes ex Ordine S. Dominici, dum agonem suum ingredienti crucifixi effigies pro more præsentaretur, fixis eum Joanna luminibus intuens, le Christe, inquit, obtestor medullitus, ut divini sanguinis tui guttam, vel unicam exsolvens mihi debitis largiaris, qua cœlesti ture justitiæ faciam satis. Vix finierat, cum luce palam visa, et sanguinis gutta, ex vulnere lateris Christi, recto cursu in pectus Joannæ delabi. In cuius rei memoriam, eadem illa Christi patientis effigies, etiamnum in loco isto honorifice conservatur. *LOPEZ, t. IV, lib. I, c. II.*

Antonius Ubaldinus ex Ordine Jesuitarum videns benedictam inter mulieres Virginum Angelorum cohortibus stipatam ad se descendere: Ecce, clamabat, dilectam Dei Matrem, ut animam meam in celum evehat; et qua surgere per infirmitatem non poterat, super lectulo se erigens brachia in crucem componit, ac post suavissima cum sancta parente colloquia, hilari vultu spiratum ab ipsa in sinu collectum emisit. Venæ vero ita firmiter invicem adheseræ, ut distrahi nullo conatu poterint, nimirum signaculum, quod super brachium vivens posuerat, mortuus constanter retinuit, et crucem, quam vivens tulerat, ne quidem in morte deponere voluit; mansit autem per dies tres in defuncti cubiculo talis, ac tam suavis odoris fragrantia, qualem nulla aromata, floresque in nostra mortalitate referre, nedum valent exæquare. *Jo. BAPT. ROSSI, in Triumpho div. grat., p. LIV, c. XVIII.*

Maria Maldonata alias de Purificatione dicta, hora mortis suæ imminente, crucifixi iconem manu accipiens, Christum enixius orare instituit, ut gutta una pretiosi sanguinis sui tanta copia et confosso latere profusi eo suum, labiaque reficeret; siti namque ardenti torrebat, cum ecce in conspectu omnium Christus avulsis de cruce manibus virginem amplexus perfossum latus ori illis applicuit, sic unde expleturus, quod ipsa ante guttam fieri desiderarat: quo divinæ benignitatis habito testimonio, læta expiravit, subsecuta cœli musica, suavissimoque per totum cubiculum odore diffuso. *LOPEZ, t. IV, l. I, c. IV.*

Coloniæ Nicolaus Luillierus S. J. Novitius dimittendi sui, ac ad nutum obedienter omnia faciendi virtute precellens, æger tandem ad mortem, a qua ad vitam translatus est, cum doloribus eximie exereceretur a Deo, ab eodem ad illos ferendos, etiam robur ac-